QUIBUS REBUS

CATARRHUS ET RHEUMATISMUS

INTER SE CONVENIANT, QUIBUS DIFFERANT.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS SCRIPSIT ATQUE

DIE XVIII. MENS. JULII A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALEXANDER JULIUS BUXBAUM,

MARTISBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

R. SACHSE, MED. ET CHIR. DD.

J. BARTH, MED. ET CHIR. CAND.

ALEX. DITTMAR, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRIS

AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, HUMANISSIMIS

E. D. A. BARTELS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI, MEMBRO DEPUTAT. SCIENT. PRO RE MEDICA, ORD. REG. DE AQUILA RUBRA ET HASSIAC. ELECTORAL. ORD. DE LEONE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUN SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI OPTIME DE SE MERITO

ET

J. F. NIEMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIS BORUSSIAE CONSILIARIO IN REBUS PUBLICIS ET MEDICIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE ET AQUILAE RUBRAE EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum proxima hieme aëris et morborum constitutio talis esset, ut permulti homines catarrho et rheumatismo afficerentur, mihi in nosodochio caritatis Berolinensi munere medici inferioris fungenti hos morbos saepissime observare licuit. Quo factum est, ut de iis et lubentissime legerem, et cogitarem, et jam cum tempus adsit, quo dissertationem inauguralem scribam, de iis verba facere vix dubitarem. Liceat mihi in hoc libello, qui propter temporis et aliarum rerum angustias perparvus esse debet, omissis multis aliis exponere, quibus rebus catarrhus et rheumatismus inter se conveniant, quibus differant. Priusquam vero rem ipsam aggrediar, a Te, Lector Benevolentissime, peto atque rogo, ut si saepius erraverim, quod non dubito, cogites, errare esse cum hominis, tum praecipue tironis.

„Quae fluxiones fiunt ad pulmones, asperam arteriam et alias cavitates corporis, catarrhi; quae vero ad artus, rheumata sunt, aut rheumatismi."

Galeni commentar. III. in Hippocratis aphorism.

Galenus verbis modo allatis catarrhum et rheumatismum, quod ad eorum pathogenesin adtineat, simillimos sibi esse, clare edocet. Cui sententiae usque ad hodiernum diem fere omnes omnium saeculorum medici magis minusve faverunt. Sed hi morbi non modo pathogenesi conveniunt, sed etiam eorum natura et essentia est eadem, et sedem habent quamvis variam, tamen similem. Nam utriusque natura et causa proxima est inflammatio, quae ab inflammatione genuina hac re potissimum differt, ut solam superficiem membranarum quarundam aliquid secernentium internam corripiat, nec partes huic contiguas simul affectet; vel, quod idem est, ut sit quasi in iis, sit venia verbo, erysipelacea.

Quod primum adtinet ad catarrhum, in omnibus morbis, qui unquam a medicis [1]) hoc nomine appellati sunt, haec signa pathognomonica observantur: membranae pituitariae intumescentia, rubor et sensilitas adaucta, secretio alienata, plerumque copiosior, denique functio laesa; quae omnia ejusmodi sunt, ut statum inflammatorium sine dubio indicent. Quam inflammationem tantum superficialem et erysipelaceam esse, ex hisce argumentis colligi potest. Si organorum membrana pituitaria praeditorum structuram in memoriam revocamus, et in hac contemplatione ab internis partibus ad externas transimus, primum invenimus convolutum vasorum et nervorum in superficie interna mucum secernente, quae partim inflexionibus, quas glandulas mucosas nominamus, partim plicis et villis elevatis ambitu adaucta est; deinde plerumque animadvertimus stratum telae cellulosae, quod sequitur aut membrana muscularis, aut fibrosa. Telam cellulosam, quam modo retuli, in catarrho simplici non inflammatam esse, inde elucet, quod omnia signa inflammationis telae cellulosae in hoc morbo, scilicet dolor valde vehemens, tumor densus, decursus rapidus et exitus in abscessuum formationem vel indurationem desiderantur. Si suppuratio et ulceratio in catarrho fit, semper superficialis est, et ulcera inde orta ulceribus cutis sic dictis impetiginosis sunt simillima; nam plerumque sunt superficialia, rarissime profundiora, et margines in

---

[1]) Excipias Victorem Schneider, qui in libro suo de catarrhis specialissimo hujus morbi notionem nimis amplificavit.

fundum sensim transeuntes habent; tum quoque ratione illorum formantur, scilicet ab exterioribus ad interna aut ex pustulis et vesiculis, quae rumpuntur, aut excoriatione per mucum corrosivum diu in eodem loco jacentem effecta. Quae omnia nullo loco melius, quam in ophthalmia catarrhali exulcerata observari licet. Neque partes musculares, neque fibrosae, quae membranae pituitariae adjacent in catarrho, nisi cum inflammatione genuina vel rheumatica complicatur, inflammatae sunt, cum signa myositidis et syndesmitidis in eo sese non offerant. Denique in cadaveribus hominum catarrhis defunctorum aut sicut post erysipelas cutaneum nihil plane, aut tantummodo membranam pituitariam nimis rubram, ejusque vasa minima sanguine rubro impleta, adjacentes vero partes integras invenies.

Jam cum hisce, quae attuli, catarrhum esse inflammationem erysipelaceam demonstratum esse videatur, sequitur, ut idem de rheumatismo argumentis probem. Quum partes eo affectas non semper ante oculos habeamus, et raro cadavera rheumatismo defunctorum explorare nobis liceat, medici, et quod ad causam proximam ejus et quod ad sedem pertinet, inter se dissentiunt. Omnes vero sententiae fere ad duas referri possunt, quarum altera est, rheumatismum esse statum inflammatorium partium musculosarum, tendinosarum et serosarum; altera eum potissimum nervorum irritationem esse. Quid, si harum sententiarum neutra plane refutanda esset? nam rheumatismus est status inflammato-

rius non modo illarum, quas nominavi, partium, sed quod infra demonstrabo, etiam nervorum vaginarum. Qua de causa hunc morbum multa symptomata et signa prae se ferre, quae non inflammationem, sed potius nervorum affectionem indicare videantur, non mirandum est. Quum in rheumatismo acuto dolores, tumorem, calorem et ruborem adauctos, actionem partium perturbatam observemus, de ejus natura inflammatoria vix aliquis dubitare potest. In eodem morbo chronico rubedo, intumescentia, temperatura solito major saepissime desiderantur. Attamen non plane desunt, sed quod partes affectae plerumque non in superficie corporis sitae sunt, et inflammatio chronica non magni gradus est, sensibus nostris percipi non possunt; atque si morbum semper oculis perspiceres, haud dubie quoque haec symptomata invenires. Nemo ophthalmiatrices peritus ex. c. rheumatismum oculi chronicum ignorat, in quo per longum tempus omnia signa inflammationis manifestissima deprehenduntur. Tum multis in casibus rheumatismi chronici, nisi ipsam inflammationem claram, tamen sequelas ejus tales, quales non nisi inflammationem sequuntur, vides. Ut pauca exempla afferam, saepissime post rheumatismum chronicum genu per exsudationes plasticas tumor albus hujus partis exoritur; post dysenteriam chronicam rheumaticam (quam Max. Stoll et alii intestinorum crassorum rheumatismum esse extra omnem dubitationem posuerunt) cadavera phlogosin chronicam et duritiem rigiditatemque intestinorum mon-

strant[1]). Deinde dolores rheumatici chronici multo majorem similitudinem habent cum doloribus inflammatoriis, quam cum proprie sic dictis neuralgiis: dolores rheumatici aeque ac inflammatorii manu premente augentur, nervosi minuuntur; quo signo adeo saepe medici practici ad distinguendos illos ab his ex. c. in colicarum speciebus discernendis utuntur. Illi remediis sic dictis nervinis et irritantibus crescunt, hi saepe leniuntur; illi fere semper sunt continui aut continuo remittentes, hi saepissime intermittentes. Sed interdum fit, ut dolores rheumatici neuralgiis valde similes observentur; quod vero nunquam contingit, nisi, postquam rheumatismus per longum tempus duravit; atque si involucra nervorum, a quibus nervi ipsi nutriuntur, longius tempus aegrotant et inflammata sunt, non mirum est, si tandem hi ipsi morbo quodam proprio afficiuntur et dolores vere nervosi oriuntur. Attamen quando tali modo morbi rheumatici morbis nervorum simillimi facti sunt, quando nihil rheumatici in iis amplius animadvertitur; tum quoque eos non amplius rheumaticos vocemus, sed eos in nervosos esse mutatos, dicamus. Denique, quae ratiocinatio esset, si quis rheumatismum acutum esse statum inflammatorium, eidem vero morbo chronico causam proximam aliam subesse contenderet! aeque absurdum esset, ac si quis inflammationis acutae et chronicae variam existere causam proximam et naturam putaret.

---

[1]) Max. Stoll Rat. medend. P. III. Viennae MDCCLXXX. p. 292, 293.

Jam vero rheumatismum in partibus corporis fibrosis, serosis et musculorum vaginis sedem suam habere, fere inter omnes constat. Si has partes anatomice inter se comparamus, iis omnibus telam cellulosam propriam esse invenimus, cujus partes minimae sibi tam propinquae sint, ut ipsa compacta et condensata appareat; easque aut sola ex hac tela ex. c. membranas serosas[1]), aut ex hac et ex tela fibrosa ex. c. multas partes fibrosas formari. In his illam telam cellulosam, neque fibrosam rheumatismo affligi, inde elucet, quod haec fere omnibus et nervis et vasis caret, et quod experientia docet, partes fibrosas, in quibus telae cellulosae copia minima sit, quoque rarissime hoc morbo affici; exempla tibi afferam duram matrem, ligamenta et tendines. Quum nervorum involucra quoque paene ex illa tela cellulosa sola constent[2]), secundum naturae legem, ex qua eaedem corporis partes iisdem quoque morbis afficiuntur, verisimillimum est, haec saepe rheumatismi esse sedem. Pro hac sententia multa alia praeterea certant. Primum in rheumatismo dolores permagnam vehementiam habent, quae, cum nullo modo inflammationis gradui respondeat, haudquaquam aut

---

1) Bichat's Allgemeine Anatomie; a. d. Französischen von Pfaff. Leipzig 1803. Th. II. Abth. II. pag. 75.

2) Fr. Hildebrandt's Anatomie des Menschen. 4. Ausgabe von Heinrich Weber. Bd. I. S. 272, 273.

certe difficillime explicari potest, nisi hanc nervos ipsos, vel potius eorum involucra occupare putamus. Deinde dolores rheumatici, quum sint prae omnibus trahentes et saepissime eundem decursum, quem nervi, habeant, sedem suam in his inprimis sibi esse ipsi indicant. Tum rheumatismum saepe morbi sequuntur, qui nullarum aliarum partium inflammatione, quam nervorum involucrorum procreari possunt; huc numerandae sunt paralyses rheumaticae, amaurosis, tabes dorsualis et quae sunt ejusmodi. Maximi denique momenti esset necroscopia rheumatismo defunctorum. Sed proh dolor! de hac pauca tantum in libris inveni; hujus ope jam innotuit, ischiadem nervosam saepissime nervorum involucri esse inflammationem rheumaticam, quanquam, priusquam Cotunni commentarium suum de hoc morbo in lucem protulerat, fere inter omnes constabat, eam esse neuralgiam vulgarem: haud dubie, si aeque accurate ac nervum ischiadicum post mortem parvos et minimos nervorum ramos in partibus rheumatismo affectis explorare possemus, simile quid in iis, quod post ischiadem nervosam, inveniremus.

Sed redeo ad qualitates omnibus rheumatismo obnoxiis partibus communes. Eae mihi non modo anatomice, sed etiam quoad actionem physiologicam similes sibi esse videntur. Nam fere omnes membranae sunt, quae aut majores cavitates investientes, aut partes alias quasi involucra circumdantes, serum vel sero simile quid ex-

halant. De membranis serosis, synovialibus, vaginis nervorum cellulosis, id satis notum est. De involucris tendinum et musculorum eorumque fasciculorum, quis anatomiae et physiologiae peritus negat? Etsi in sano homine in iis fluidum accumulatum desideras, tamen id in morbis hydropicis et aliis largiter secretum invenies. Tum multae membranae fibrosae, quanquam ipsae non secernunt, tamen tam intime cum membrana mucosa aut serosa conjunctae sunt, ut eas vix dividere, nec earum actiones physiologicas distinguere possis [1]. Exempla tibi sint membrana fibrosa et pituitoso-serosa in aure interna, atque dura mater et arachnoidea. Periosteum et perichondrium cum ceteris, quas nominavi, partibus in eo quidem conveniunt, ut involucra sint aliarum partium; vix tamen ea quoque secernere aliquid contendi potest. Sed raro quoque rheumatismo afficiuntur, atque, si in iis aliquid rheumatici observatur, tum cogitemus, in iis quoque existere nervorum involucra, in quibus sit principalis hujus morbi sedes.

Jam cum ex hisce, rheumatismum esse statum inflammatorium membranarum ex tela cellulosa condensata et fibrosa potissimum compositarum et aliquid secernentium, pateat, vix quoque dubium esse potest, hanc inflammationem esse erysipelaceam. Ut erysipelas exanthematicum in tela cellulosa compacta, quae corporis superficiem externam investiens cutis nomina-

---

[1]) Bichat in libr. cit. Th. II. Abth. I. p. 140.

tur, sedem suam habet, ita rheumatismus eandem fere telam in superficiebus, quas dixi, internis inflammationis erysipelaceae instar occupat. Quid? nonne erysipelas et rheumatismus quoque nonnulla communia habent ex. c. illud, ut facile ab alio loco ad alium vel migrent, vel transiliant? Quis porro nescit, erysipelas a cute ad internas partes retrogressum praesertim eas partes afficere, quae quoque rheumatismo subjectae sint, et in iis morbum rheumatismo simillimum procreare?

Deinde, inflammationes rheumaticas tantum partes nominatas neque iis contiguas afficere, quotidie observare licet in inflammatione tunicae serosae organa alia circumdantis; in pleuritide rheumatica, quae saepissime, quin pulmones ullo modo affecti sint, existit, in peritonitide hujus indolis, quae obvenire solet, quin organa peritonaeo circumvoluta inflammata sint. Ad quam sententiam denique quadrat illud, inflammationes rheumaticas saepissime exsudatione lymphatica et serosa, nunquam vero suppuratione finiri; nam haec praecipue est propria telae cellulosae vulgari, molli et laxae [1]), quam in rheumatismo inflammatione liberam esse demonstrare volui.

Omnibus, quae hucusque de nostris morbis dixi, demonstratum est, eos esse inflammationes peculiares,

---

1) „Ubi pus, ibi textus cellulosi (vulgaris) inflammatio, et vice versa". Dzondi pathologiae inflammationum systematum corporis humani succincta adumbratio. Halae 1829. p. 99.

nempe erysipelaceas, quae in superficie membranarum quarundam secernentium interna sedem habeant. Sed ut singulare et peculiare aliquid exoriatur, singulares quoque causae vim suam exhibere debent. Haudquaquam igitur rheumatismi et catarrhi causae inflammationis solitae, sed propriae quaedam existere debent. Quae causae ex parte omnibus omnium saeculorum medicis vel notiores, quam essentia morborum ipsa fuerunt, ita ut plurimi, cum de hac verba facere velint, de illis loquantur; quas omnes ad unam scilicet ad actionem cutis cohibitam et inde transpirationis materiem retentam referri posse plerique contendunt. Sed re vera non haec una est causa rheumàtismi et catarrhi, sed permultae aliae existunt. Et quis jam negat, illarum, quas saepe nominavi, membranarum inflammationem superficialem et erysipelaceam pluribus causis excitari posse? Sed quod hae membranae sunt secretoriae, natura eas potissimum inflammat, si secretionem aliquam procreare studet. Quod conamen naturae observatur, partim, si secretio alia minuta vel deleta est, partim si in corpore substantiae procreantur, quae, ut organismus servetur, excernantur necesse est. Jam habes duas principales morborum nostrorum causas, scilicet retentionem materiarum amovendarum et procreationem substantiarum excernendarum. Huc accedit tertia, quae noxas membranas illas extrinsecus superficialiter irritantes continet. Quanquam multi

quavis singula causarum modo nominatarum rheumatismum et catarrhum gigni negant, et, ut modo dixi, tantum cutis actionem perturbatam eos provocare, ceterasque causas ad summum ad eos disponere contendunt; tamen eas omnes, quum non raro solae morbos omnibus signis illorum pathognomonicis stipatos efficiant, inter horum causas sufficientes numerandas esse censeo. Vulgatissima vero causa est suppressio secretionum et inprimis cutis transpirationis; quae adducitur praecipue aëre humido et frigido, praesertim si corpus calefactum ei exponitur, si ingentes aëris et tempestatis mutationes, repentinaeque vicissitudines fiunt, si blanda aestas repente in rigidum autumnum transit, si zephyrus vicissim cum borea alternat, et quae sunt alia ejusmodi. Quum fere in nullo alio morbo, quam in rheumatismo et catarrho aegroti magis sudore largo vexentur, facile quis putet, cutis transpirationem suppressam nullo modo eorum causam esse posse. Sed sudor nunquam intrat, nisi morbus jam per aliquod temporis spatium duravit, semperque initio cutis est sicca; atque si propterea catarrhus et rheumatismus per antagonismum exorti sunt, tum secundum legem, inflammationes omnes certum quendam decursum absolvere, etiam causa sublata perdurare debent; aeque ac panaritium assula in digitum infixa ortum, etiam hac chirurgi manu remota, stadia sua percurrit.

A rheumatismo ex cutis actione perturbata orto, qui multis solus verus est, mihi ille spurius scorbu-

ticus non multum differre videtur. Quanquam non dijudicare audeo, utrum dolores fixi et vagi in scorbuto eandem plane causam proximam habeant, quam rheumatismus ille vulgaris, nec ne, tamen primum mihi verisimillimum videtur. Etenim causae remotae scorbuti et rheumatismi sunt sibi persimiles; constantissima, inquit Max. Stoll[1], causa (Scorbuti) est mador atmosphaerae continuus, maxime frigidus; reliquae causae non sufficiunt; deinde quoque actio cutis in hoc morbo valde est cohibita: est haecce sicca et anserina.

Simili modo porro omnia remedia, quae secretionem ullam corporis valde minuunt, quin aliam augeant, facile rheumatismum et catarrhum provocant. Ut pauca exempla afferam, plumbum, quod et cutis et tunicarum mucosarum vasa constringit, non raro rheumatismum gignit. Cortex chinae, remedium, quod inter alias vim adstringentem exhibet, nonnunquam causa rheumatismi esse dicitur[2]. Post mercurii quorundam praeparatorum usum, quae cutis organon tono privant, saepe dolores rheumatici oriuntur; multo saepius tamen, quod illa vim singularem in membranas mucosas habent, catarrhi. Nominandi denique hoc loco sunt rheumatismus et catarrhus ex aliis secretionibus suppressis, ex retrogressis exanthematibus, ex menstruationis, haemorrhoidum, ulcerum habitualium suppressione, ex hydroceles operatione radicali.

[1]) Praelectiones in diversos morbos chronicos. ed. Eyerel. Vindob. 1788. Vol. I. pag. 7.
[2]) Sydenham op. med. Sect. VI. Cap. V.

Jam optandum est, ut, cur pluribus allatis causis nunc catarrrhus nunc rheumatismus oriatur, explicari possit. Quod ipsum est difficillimum et multo majorem experientiam et doctrinam, quam mihi juveni est, poscit. Pauca tantum afferam. Quum membrana pituitaria sit organon, quo natura quoque in sano homine ad multas e corpore ejiciendas substantias utitur, multo crebrius inflammatur, quando materiae retentae amovendae sunt, quam rheumatismo obnoxiae membranae, quae pauca tantum eaque non excernenda rursusque resorbenda exhalant. Quo etiam fit, ut catarrhus in universum multo saepius, quam rheumatismus homines infestet. Hic morbus vero primum oritur, si non modo cutis vel alius organi secretio supprimitur, sed simul quoque vasa membranae pituitariae coarctantur. Itaque aëre frigido, qui simul est siccus, ita ut humoribus membranam mucosam emollientibus et sanguinis fluxum ad eam adducentibus careat, ejusque vasa frigore contrahat, facillime rheumatismus gignitur. Simili modo, ut speciale quid afferam, si aegroti incipiente catarrho oculi propter sensum caloris et ardoris ingratum aquam frigidam localiter applicant, et muci secretionem minuunt, simul rheumatismo oculi affici solent; quod ipsum persaepe jam experientia propria me edocuit. Deinde e secretione aliqua cohibita fit catarrhus, si eodem tempore membrana mucosa; rheumatismus, si huic obnoxiae partes irritantur. Itaque homines tuberculis pulmonum laborantes, apud quos hujus or-

gani membrana pituitaria fere semper in statu quodam irritato versatur, post refrigerationem facillime catarrho yexantur. Eadem de causa homines, qui in negotiis corpus praesertim musculos nimis exercentes et irritantes refrigerationi sese exponunt, rheumatismum persaepe sibi acquirunt. Exemplo denique sit ille rheumatismus genu, quo saepe ancillae post lavationem pavimenti domiciliorum affliguntur; in quo negotio per longum tempus genua humoribus frigidis et insultationibus mechanicis exponunt; ita ut non modo in his transpirationem supprimant, sed quoque partes subjacentes irritent. Tum et ab aliis [1]) et a me ipso observatum est, rheumatismum saepe post refrigerationem oriri, si cum hac ipsa nervorum systematis affectio conjuncta est; inter quas affectiones inprimis quoque animi pathemata sunt numeranda [2]).

Maximi vero momenti est praedispositio ad unum alterumve morbum. Ad catarrhum inclinati sint infantes et senes, homines temperamento phlegmatico, habitu molli, laxo et cacochymico praediti, et saepius jam hoc morbo vexati. Ad rheumatismum inprimis praedispo-

---

[1]) Joseph Frank. Praxeos medicae universae praecepta Lips. 1826. Volum. I, Sect. II, p. 30.

[2]) Pluribus aliis omissis unum tantum exemplum enarrabo. Rhedarius quidam quadraginta annos natus, constitutionis robustae et sat validus nuper, quum in paucis non nociferis cibis clam edendis a domino suo deprehenderetur, primum terrore, deinde vero ira suppressa correptus est, et e domo profectus pluviis sese exposuit et refrigeravit. Jam post tres horas peritonitide rheumatica est affectus, quae in exsudationem transibat et post octo dies in nosocomio caritatis diem pupremum afferebat.

nunt aetas florens [1]), plethora [2]), sexus masculinus, temperamentum sanguineum, cicatrices vulnerum et partium mollium et ossium, prius jam superati rheumatismi. Denique commemoranda est morborum constitutio, quae variis temporibus, quanquam aër et tempestas non varia sunt, tamen nunc rheumatismo, nunc catarrho magis favet.

Venio ad alteram nostrorum morborum causam principalem, quae est abnormis generatio materiarum e corpore excernendarum; quae ipsa, ni fallor, magno in gradu in scrophulosi, labe organorum digestionis et arthritide laborantibus obvenit. Quanquam his in morbis catarrhum et rheumatismum saepissime fere quasi symptomata pathognomonica et essentialia observari nemo negabit, tamen plurimi medici eos tantummodo ad illos valde praedisponere, sed nunquam, nisi refrigeratio cutis accedat, ad ipsos provocandos sufficere, contendunt. Quod mihi quidem a vero abesse videtur; etenim, etsi illi homines saepe ab omni refrigerio, ab aëris et tempestatis injuriis religiosissime sese arcent, vestibus sat densis utuntur, fere semper in domiciliis, non raro propter aliam causam in cubiculis ipsis sese continent, tamen, etiam morborum constitutione obstante, morbis illis vexantur. Multi erunt, qui dicant, illos hac ipsa refrigerationem evitandi nimia cura, per vestes cutim irritantes et aërem et fri-

1) Joseph Frank loc. cit.

2) S. G. Vogel Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft. Stendal 1789. Bd. II. §. 128.

gus nimis ab ea arcentes, et eo, ut tempestati nunquam corpus exponant, sensim sensimque refrigerationi aptiores reddi, ita ut vel minima noxa ea adducatur. Quod quidem verum est. Sed vice versa non pauca exempla existunt, homines praesertim hypochondriacos longe ab illorum aërophobia alienos aptioribus remediis usos esse, et ad cutem roborandam, aërique et ejus noxis adsuefaciendam balnea frigida et similia adhibuisse; eosque tamen rheumatismo et catarrho non liberatos esse. Neque unquam ab his morbis tuti erunt, nisi à scrophulosi et labe organorum digestionis restituuntur. In scrophulosi praecipue propter vasorum et organorum lymphaticorum atoniam et debilitatem chylus perverse mixtus concoquitur. Qui, cum corpus inprimis nutriat, hujus ipsius dyscrasiam procreat; cujus principium *Ill. Guil. Hufeland* et aliis acrimonia specifica esse videtur. Non dijudicare audeo, utrum re vera haec acrimonia adsit, nec ne, utcunque res se habeat, scrophulosin esse dyscrasiam inter omnes constat. Jam vero organismus, ut normalem inter corporis partes constituentes proportionem efficiat, materias abundantes et alienatas amovere studet [1]). Hac de causa in scro-

---

[1]) „Das Wesen der Scrofelseuche ist demnach zunächst in einer Abnormität der organischen Mischung gegründet, und für den Augenblick nicht zu bestimmen. Aber die Effecte, die diese innere Destruction nach sich zieht, sind die Zeichen eines thätigen Bestrebens des Organismus, die sein Leben störenden Differenzen auszugleichen."

F. Zöhrer. Das Heilverfahren gegen die scorfulösen Drüsengeschwülste und Abscesse. Wien 1829. §. 12.

phulosis saepissime exanthemata, ulcera, catarrhi, rarissime rheumatismi obveniunt. Simili modo organismus hominum obstructione organorum digestionis eorumque atonia laborantium, hypochondriacorum, arthriticorum, quodammodo secretionem aliquam morbosam, ceteris physiologicis accessoriam, habet necessariam, ut multas materias inutiles et noxias e se ipso ejiciat. Nam cum apud eos organa digestionis aegrotent, mixtio corporis normalis esse non potest; quam cachexiam tam conspicuam offerunt, ut ipse medicus minus exercitatus eam statim ex habitu sic dicto abdominali cognoscat. Paucos inter hos aegrotos invenies, qui non secretionem aliquam abnormem habent; vexantur haemorrhoidibus sanguineis vel mucosis, fluore albo, exanthematibus chronicis, ulceribus in crure, denique quoque catarrhis. Quae omnia mala tam diu, quam principalis morbus in abdomine existit, salutaria quodammodo sunt, ita ut non sine damnis supprimantur. Inter damna, quae hoc modo adducuntur, quoque rheumatismus sic dictus abdominalis numerandus est; qui praeterea quoque exoritur, quando partes ei obnoxiae ad inflammationes prioribus rheumatismis vel aliis rebus praedispositae sunt.

Cui rheumatismo abdominali arthritidem simillimam esse nemo negabit; attamen peculiaria nonnulla habet, forsan praecipue, quod causis remotis peculiaribus gignitur; nempe exoritur, quando homines organis digestionis debilitatis praediti cibis largis multum nu-

trimenti continentibus, animalibus, vino et similibus fruuntur; praesertim si dispositio haereditaria accedit; atque morbus divitum est, rarissimeque in nostra plebe observatur. Quanquam permultos in nosodochio caritatis aegrotos variis morbis vexatos observare mihi licuit, tamen bis tantum arthritidem eamque non claram et luculentam videre mihi contigit. Nam illa ulcera arthritica, quae in hoc nosocomio non raro obveniunt, fere nihil arthritici habent, quam quod formam et speciem externam praebent, quae ulceribus arthriticis propria esse a celeberrimis helcologis dicitur; atque saepe in hominibus alioquin sanissimis et ab arthritidis vel levissima suspicione quam alienissimis occurrunt, et simplicissima cura sanantur.

Hic locus mihi aptus videtur, quo de nonnullorum catarrho et rheumatismo syphilitico pauca verba faciam. Quod primum ad catarrhum adtinet, ni fallor, fere sola hujus indolis species observata est coryza; quae ipsa non syphilitica est affectio, sed inflammatione periostei et ossium narium per consensum adductum pseudo-erysipelas tunicae Schneiderianae; pro qua sententia hoc militat, quod nunquam nisi in primo ozaenae syphiliticae stadio obvenit. Simili modo res se habet de rheumatismo syphilitico. Quanquam syphilis quoque saepe partes fibrosas occupat, tamen eas sibi praecipue eligit, quae rarissime rheumatismo afficiuntur; nempe periosteum, ibique morbum efficit, qui ab illo valde differt. Etiam iridem afficit, sed fortasse nunquam

primarie. In omnibus iritidis syphiliticae casibus, quos observavi, primum ophthalmia rheumatica adfuit, quae sensim sensimque characterem syphiliticum induebat. Quanquam multi quoque de aliis rheumatismis syphiliticis loquuntur, tamen secundum recenter quoque in nostro nosocomio experta multa, quae syphilitica putantur, usui mercurii sunt adscribenda. Jam cum multi syphilitici sine mercurio curentur, sperandum est fore, ut mox facilius distingui possit, quid sit syphilidi, quid mercurio tribuendum.

Jam restant causae, quae hac re nostros morbos procreant, ut iis obnoxias membranas leviter et superficialiter irritent. Quum partes fibrosae et serosae fere nusquam in superficie corporis externis injuriis expositae sint, ita ut fere omnia eas extrinsecus irritantia simul partes contiguas inflamment, quae secundum supra dicta in rheumatismo inflammatione liberae esse debent; hoc loco fere tantum de catarrho sermo esse potest, qui saepe irritamentis externis procreatur. Ad haec numeranda sunt primum mechanica: pulveres subtiles et farinae, conquassationes et frictiones leviores et talia hujus generis. Itaque saepe pistores et molitores coryza et catarrhis pulmonum laborant; fere omnes puellae publicae propter coitum nimis frequentem fluore albo; calculo urinariae aegrotantes simul catarrho vesicae urinariae affliguntur. Chemice irritantia morbum catarrhalem procreant, aër praesertim frigidus et humidus, aut siccus et fervidus inspiratus, nonnullae substantiae huic admixtae ex. c. acidum muriaticum oxy-

genatum, vapor sulphuris, arsenici fumus[1]). Dynamica irritamenta ejus causae sunt, contagium catarrhale ipsum, morbillosum, scarlatinosum et variolosum.

Haec fere sunt, quae de catarrhi et rheumatismi causis afferre possum. Sed cum catarrhus praesertim in epidemiis interdum ita universim diffundatur, ut nemini etiam ab refrigeratione diligentissime caventi, et ceterarum ejus causarum quoque experti parcat; quin aëris constitutio et anni tempora, quae eo provocando valent, regnent, cogitemus, multa in morborum aetiologia nobis esse obscura et verum esse illud Sydenhami[2]: „Variae sunt annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, non sicco humidove ortum suum debent, sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, quae humana corpora huic vel illi morbo addicunt determinantque, stante scilicet praefatae constitutionis dominio."

Restat, ut breviter symptomata et decursum catarrhi et rheumatismi inter se comparem. Ut a signis eorum pathognomonicis incipiam et in catarrho et in rheumatismo in partibus affectis rubedo adaucta observatur: quum in tunica mucosa permulta vasa sint, eaque tela laxa circumdata, ita ut facile extendantur, rubor in catarrho sat intensivus et fuscus est; in rheumatismo is multo levior et subtilior conspicitur, quia vasa membranarum affectarum pauca ad-

---

[1]) Petri Frank de curandis hominum morbis epitome. Viennae Austriae 1811. Lib. V. pag. 73.
[2]) De morbis epidem. opp. T. I. pag. 22.

sunt et propter telae cellulosae condensationem non facile ambitum suum augere possunt. Quae ruboris varietas in oculo est clarissima, ita ut sola ad catarrhum ejus a rheumatismo distinguendum sufficiat. Vix commemorare necessarium est, huc non illum quoque cutis ruborem esse referendum, qui saepe in rheumatismo articulorum obvenit, quum nihil aliud sit, quam per profundiorem inflammationem consensu effectum pseudoerysipelas. Etiam tumor in partibus catarrho obsessis propter earum telae laxitatem major, quam in iis rheumatismo affectis invenitur; attamen saepe hoc in morbo majorem tumorem observamus, partim quod ad propinquas partes multi humores congeruntur, partim, quod secretum et exsudatum propter partium anatomicas conditiones non sicut in catarrho excernitur, sed retinetur. Deinde dolore multum differunt inter se morbi nostri; etenim catarrho laborantes eum obtusum, prementem, ardentem accusant, qui in chronico morbo saepe tam levis est, ut vix percipiatur. In rheumatismo contra sunt dolores trahentes, pungentes, lacerantes, iique omni motu et tactu augentur, et saepe tam crudeles et atroces sunt, ut aegroti se infelicissimos habeant, et anxietate et metu, ne tangantur, cruciati adeo ab amicis appropinquantibus, ne nimis prope accedant, rogent. Cujus rei causam jam supra explicare conatus sum. Quod ad calorem adauctum in nostris morbis adtinet, majorem eum aegroti in rheumatismo, quam in catarrho queri solent. Denique et in hoc et in illo functio or-

ganorum est laesa. In catarrho primum est secretio tunicae mucosae alienata et ita quidem, ut in primo stadio aut nihil aut parva copia fluidi tenuis, acris, aquosi secernatur, tum vero magna quantitas muci spissioris nec nunquam puriformis profluat. Huc accedit varia variorum organorum, quibus tunica mucosa adnata est, actio perturbata; coryza aegrotantes odoris sensu privantur; in catarrho pulmonum sanguis non solito modo aëre mutatur; in catarrho ventriculi appetitus ciborum, eorumque concoctio desideratur. Simili modo quoque in rheumatismo in membranis affectis secretio est morbosa; nam aut seri quantitas nimia, aut lympha plastica exsudatur, neque solum sub finem morbi, ut exitus ejus nominari debeat, sed quoque eo incipiente et florente. Praeterea inprimis motus hoc in morbo impeditur, ita ut saepe paralyses incompletae adesse videantur: nec raro mihi contigit, ut homines rheumatismo acuto laborantes mihi interroganti, quid accusent, se paralysi affectos esse, responderent.

Febres saepe nostros morbos comitantes quidem non semper symptomaticae sunt censendae; nam saepe prius, quam catarrhus et rheumatismus ipsi animadvertuntur, et in multis casibus tantummodo iisdem causis, quibus illi, procreatae esse videntur; attamen tam intime cum iis conjunctae sunt, ut separatae nunquam observentur. Quae cum ita sint, hoc loco pauca verba de iis facere lubet. Quas febres inter se esse simillimas, nec raro quasi conjunctas in uno homine

versari, satis notum est. Utraque frigore incipit intermixto calore: quod ipsum quoque in febri suppuratoria observamus; quasi natura in febribus, quae eo consentiunt, ut in iis aut secretis solita augeatur, aut nova instituatur, symptomata quoque similia in lucem proferre voluerit. Consentiunt porro, quod et illa et haec exacerbationes vespertinas et remissiones matutinas offert, quae tamen in febri catarrhali luculentiores sunt et prioribus horis intrant, quam in rheumatica, cujus exacerbatio saepe media nocte adhuc satis fortis est. Haec plerumque longius tempus durare solet, quam febres catarrhales, quae saepissime intra tres, quinque, septem dies terminantur, nisi synochi characterem induunt, quam ipse pluries per hebdomades quatuor protractam esse vidi. Quod ipsum non raro fit, ita ut plures febres nervosas maxima ex parte ex iis ortum ducere contenderent. Febris rheumatica contra, etsi nonnunquam quoque fit asthenica, crebrius est inflammatoria vel simplex.

Jam antequam ad nostrorum morborum decursum et exitum transeam, de eorum propagatione ab alio loco ad alium pauca dicam necesse est. Nempe rheumatismi hoc peculiare est et fere signum pathognomonicum, ut saepe locum suum mutet et quidem non pedetentim progrediendo et migrando, sed saepissime saltus magnos faciendo. Cujus rei causas vix quis accurate exposuit, nec explicare potest, praesertim cum illud sine causis externis, neque lege antagonismi, neque sympathiae fieri soleat. Fere idem in erysipelate exanthematico inve-

nimus. Quum vero catarrhus etiam quodammodo erysipelas sit, quomodo fit, ut in eo haec loci mutationis ratio desideratur? Ni fallor, praecipue propterea, quod in hoc morbo secretio quasi critica propter organon inprimis secretorium affectum, facillime contingit; et hac de causa sanguinis fluxus ab affecto loco non facile ad alias partes derivatur.

Decursus morborum nostrorum aut acutus aut chronicus est, neque dici potest, uter eorum longius tempus durare queat; nam et catarrhum et rheumatismum per menses et annos protrahi experientia docet. Saepissime in sanitatem transeunt pluribus plerumque intrantibus crisibus. In catarrho per membranam pituitariam ipsam mucus criticus secernitur; in rheumatismo quidem quoque aut serum, aut lympha plastica exsudatur; sed quum hae materiae intra partes affectas retineantur, has ipsas vel denuo irritant et morbum prolongant vel alia incommoda, non integritatem provocant. Si in nervorum involucra exsudatur, eorum actio minuitur et alteratur, et atrophiae nec non paralyses oriuntur. Hoc modo, ut unum exemplum afferam, rheumatismum oculi chronicum bulbi atrophiam procreasse et alii experti sunt, et ipse pluries vidi. Si exsudatio fit in cava, hydrophthalmus, hydrothorax, ascites, hydrarthrus et similia oriuntur. Si musculorum vaginae exsudato implentur, rigiditas membrorum et ankyloses spuriae adducuntur. Nec etiam tamen negandum est, rheumatismum nonnunquam exsudatione critice finiri; tum vero exsudatio non intra partes affectas ipsas, sed vel in tela cellulosa propinqua, vel in remotis locis fit. Pauci erunt, quibus non unquam post odontalgiam rheumaticam facies cum maximo levamento tumefacta fue-

rit. Febres rheumaticae non raro abscessibus, bubonibus et similibus terminantur et finiuntur. Deinde et in catarrho et in rheumatismo praesertim febrilibus largi sudores, quanquam sunt maximam ad partem symptomatici, saepe aliquid critici habent. Simili modo res se habet de crisi per urinam in utroque morbo. Urina turbida cum sedimento rosaceo vel lateritio, quae in rheumatismo critica habetur, saepissime quoque in decursu morbi observatur; aeque ac in catarrho sedimentum mucosum non modo tempore criseos, sed etiam in primis morbi stadiis obvenit. Interdum et in febri rheumatica et catarrhali urinam criticam omnino desideravi.

Sed non semper felix morborum nostrorum exitus contingit. Febres rheumaticae et catarrhales simplices in corpore ceterum bene constituto periculo quidem vacant; secus vero, si complicatae sunt, si homines debilitatos et ceteroquin aegrotantes corripiunt, si aegri debitum regimen servare nequeunt; tam multa pericula imminent, quae enumerare longum est. Catarrhus chronicus, quum corpori materias, quae sunt maximi momenti, detrahat, saepissime cachexias, marcores et phthises procreat: quae ejus sequelae eo facilius intrant, quo est dignius organon affectum in organismo; quis catarrhi pulmonum, catarrhi ventriculi infaustos exitus nescit? Rheumatismus chronicus, nisi organa principalia, ut cor, tunicas cerebri et medullae spinalis occupat, per se minus vitam periclitatur; attamen malis molestissimis et saepe gravissimis magna ex parte jam supra nominatis ansam porrigit.

DE VITA MEA.

Ego *Alexander Julius Buxbaum* d. XVIII. mens. Julii ann. MDCCCXII. Martisburgi, patre *Ernesto* chirurgo, quem praematura morte mihi ereptum lugeo, et matre e gente *Heubner* adhuc superstite natus, confessioni evangelicae addictus sum. Anno vitae decimo Gymnasium adii, quod in urbe paterna sub directore Cel. *Wiek* floret; cui viro propter benevolentiam et humanitatem erga me maximas habeo gratias; nec non ceteros praeceptores optimos Cel. *Landvoigt, Haun, Steinmetz, Tenner* semper grato animo venerabor. Anni MDCCCXXX mense Octobri maturitatis summae testimonio instructus inter cives Instituti Medico-Chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus rei medicae per quator annos incubui. Praeceptores mihi fuerunt: Cel. *Wolff* in hodegetice, logice et psychologia; Ill. *Link* in historia naturali, botanice et toxicologia; Ill. *Lichtenstein* in zoologia; Cel. *Turte* in physice, chemia et pharmacia; Beat. *Hermbstaedt* in chemia et pharmacia; Beat. *Rudolphi* in osteologia, anatomia universa, anatomia foetus humani et organorum sensuum, in doctrina de entozois, in methodologia medicinae atque encyclopaedia, denique in physiologia; Ill. *Schlemm* in osteologia, splanchnologia, syndesmologia et anatomia chirurgica. In arte cadavera rite dissecandi Beat. *Rudolphi* una cum Ill. *Schlemm* me imbuerunt. Disserentes porro audivi Cel. *Eck* de physiologia; Ill. *Fr. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. *Horn* de pathologia speciali et de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. *Osann* de materia medica et de fontibus medicatis; Cel. *Casper* de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. *Kluge* de arte fascias imponendi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. *Juengken* de chirurgia generali et speciali, de akiurgia et de ophthalmiatrice; Cel. *Angelstein* de ophthalmiatrice.

Ill. *Hecker* mihi Celsi de medicina libros et Hippocratis aphorismos interpretatus est. Interfui exercitationibus clinicis medicis Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff,* chirurgicis Ill. *Rust,* chirurgicis ophthalmiatricis Ill. *de Graefe,* medico-chirurgicis Cel. *Truestedt,* ophthalmiatricis Ill. *Juengken;* nec defui exercitationibus practicis ad medicinam forensem pertinentibus Ill. *Wagner.*

Praeterea praelectiones ad artem veterinariam spectantes frequentavi: Cel. *Gurlt* de zootomia, Cel. *Reckleben* de epizootiis et zoodiaete, Cel. *Naumann* de equorum forma externa et habitu; denique interfui clinico veterinario Cel. *Hertwig.*

Quibus studiis peractis et tentaminibus, tum philosophico coram amplissimo philosophorum ordine, tum medico atque examine rigoroso coram gratiosa Medicorum facultate rite absolutis, in nosodochio caritatis Berolinensi munere medici inferioris fungi jussus sum, quo etiamnum fungor. Jam vero in eo sum, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi honores in medicina et chirurgia in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Calomel in febri nervosa abdominali non remedium radicale, sed palliativum est.
2. Signis acusticis in morbis pectoris accurate discernendis carere non possumus.
3. Post amputationem vulneris sanatio semper per primam intentionem petenda est.
4. Gangraena nosocomialis est contagiosa.
5. Optima pupillam formandi methodus est iridectomia.
6. Tetani traumatici causa proxima est inflammatio medullae oblongatae et spinalis.
7. Hirudo sanguisuga sanguinem non sugit.